Salutem in Christo. Reuerende Vir uenit ad me ado-
lescens hic ciuis Bremensis, qui ad uos iturus. Volui
igitur quemadmodum tu petieras de quibusdam ad
te perscribere. Brunsuigum ueniens literas tuas tradi-
di D. M. Bergio una cum libello. De literis tuis nihil
mihi respondit, quas tamen me praesente et uidente
legit. Sed mecum deinceps pluribus locutus est. Ani-
maduerti non ~~dubito~~ dubia signa hominis poeniten-
tis neque dolentis propter subscriptionem a se factam
quod et aperte confessus est, dicens, minis aliisque
nescio quibus indignis modis ad hanc subscriptio-
nem pertractum, sique etiam postea professum hanc sub-
scriptionem suam sibi displicere. Et num igitur
etiam hoc agunt isti theologi ut hominem bonum
ad subscriptionem sua confessione confirmandam
adigant. Ipsemet mihi duabus fere horis duos
theologos difficili disceptatione cum eo de hoc egisse,
quod mihi etiam iis discedentibus congressus est,
et dixit, se adhuc metuere exilia &c. Helmstadium
profectus sequenti die audio D. Heshusium aegrum
ex pede domi haerere, neque enim dum ego ibi
sum docuit publico loco. Intelligo ex quibusdam pro-
fessoribus meditari hoc, iamque etiam parare scriptum
aduersus confessionem uestram. Doctorem Heshu-
sium etiam aperte dixisse de patribus Bergensibus
ut uocant, eos segniores uideri in respondendo
his qui oppugnant formulam Concordiae: se uelle
itaque scribere aduersus Caluinistas. Haec hactenus.
De me non habeo singulare quid quod tibi scri-
bam. Sane propemodum minus spei mihi nunc

1581. Oct. 14.

Superest hoc in loco quam antehac apparebat, De qu[o]
plura scribo ~~non possum~~. Atque etiam non video q[ui]
quomodo inter hos homines tuto mihi vivere li[ceat]
Ego vero etiam video, et quotidie magis magisque
experior paucissimos esse qui nostris miserijs serio
afficiantur. Spreta iacet virtus, Spreta iacet piet[as]
Vario admodum ac multipliciter exercetur fides
nostra, et ut tibi dicebam aliquando Bremae: Sol-
licitos nullos esse putare Deos. Facile est de fide
et vera fiducia Ve dicere extra aciem. Sed tum
cum ea tot machinis concutitur consistere, hoc
opus hic labor est. Oro DEUM quotidie ne me
deserat: sic dicebat ICTVS vera pietate imbutus
Annas Burgius ductus ad supplicium. Domine
ne deseras me, et non deseram te. Vidi apud Pro-
fessorem huius Academiae scriptum quoddam ho-
minis nescio cuius, quo ille universam nostram reli-
gionem atque fidem a primis principijs convellere co-
natur petulantissime, sed tamen astute et prorsus
diabolice. Is inter alia in haec quoque verba scribit.
Isti reguli (sic vocat interpretes scripturae sacrae
novi praesertim testamenti, ineo sic vocat Christia-
nos a Christo suo rege) nihil aliud possunt quam
minari cruciatus infernales post hanc vitam, et
cultoribus Jesuae (sic vocat JESUM salvatorem no-
strum) promittere caelum seu caeleste quoddam
regnum. Et tantum abest, ut reguli isti suis
pijs promittant felicitatem huius vitae, ut i[psi]
potius promittant contrarium ~~[illegible]~~ nempe infe-
licitatem huius vitae, quam Moses, et Prophetae

pijs

ſeys minantur, idq; ideo faciunt qa experientia
sunt edocti, eos qui sunt optimi in regali reli-
gione (sic vocat nostram religionem a rege
de quo supra.) esse miserrimos in hac vita
et ideo ijs non audent promittere felicitatem
huius vitae. Etenim solent adferre aliquas
causas quare ij q sunt optimi in hac regali
religione maxime affligantur, sed quae sunt
falsae. Ego autem illis veram causam dicam
nempe qui optimi in hac religione sunt,
maxime idolatrae reperiuntur. Nam ostendi-
mus regalem doctrinam tradere idolatriam
Docet enim Jesuam illum habere pro DEO. Eo
itaq; quis magis in idolatria excellit, eo magis
peccat, atq; ideo magis punitur a DEO vero.
Sane iustum iudicium DEI in afflictionibus regi-
corum apparet, quod tamen ipsi non ani-
madvertunt. Affliguntur regali, perduntur
gladio, igne, suspendijs, a quibus? a regalib.
idq; propter regalem doct. religionem, quam
omnes habent communem. Nam quamvis
in quibusdam inter se dissentiant in eo ta-
men consentiunt, quod Jesuam illum habent
pro DEO suo &c. Haec ille. Sed vide tu verba
scelerata, vide quid moliatur Satan. Talia
vero incurrunt nostra tempora, nostri mores,
Quid quaeso aliud nobis est propemodum re-
ligio, quam quaedam Philosophia, de qua in
subsellijs, in conviviis, inter amicos suaviter
garriamus &c. Nihil minus praestantes
quam quod illa exigit, priores prope ipsis Eth-
nicis, charitatis omnibus quae finis est legis,
quam doctrina fidei non abolet sed stabilit.

expertes. Sed haec deplorare licet, emendare non pos-
sumus. Vani Jes V diem. Haec raptim celeriterque,
cum plura, et ad alios scribere non possem, o cursu
sub magna animi sollicitudine de itinere, quod
mihi adhuc est conficiendum, nec iter liberum ha-
bere possumus. Hic quoque sunt initia quaedam con-
tagiosae pestis, ut et Magdeburgi, quo peregrinos nix
recipiunt in urbem. Similia dicuntur de Vuitebergensi
nostra. Sed de his audies ex iuvene qui has literas
tradit. Saluto officiose, idque per te expediri cupio
reverendos viros patronum nostrum, Dominum D. Sal[illegible]
D. Wilhelmum, D. Leonem, caeterosque Collegas et mi-
nistros nostrae Ecclesiae, virum praestantissimum
D. Danielem Consulem, clarissimos viros D. D. Wide-
kindum Syndicum, D. D. Johannem Euchinum, et
D. Hermannum Schumacher, et virum optimum
D. Hautmannum cum familia. Memores estote
nos, qui estis consortes eiusdem fidei, etsi nunc
non etiam eiusdem sortis; et tueatur nos DEUS Opt.
Max: diu in statione iusta, exulis Christi. Datae
Helmstadij 14 Octob. Ao. 87.

Indulgeo [illegible] [illegible]
[illegible] D [illegible]
Caltenius

Tuus ex animo

Caspar Caltenius S.
Colon:

De [illegible] nova quae venerunt
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]: Ego sane non potui
[illegible] de ea [illegible] bene [illegible]
[illegible] Dno [illegible] quod
[illegible] non [illegible]